

Q. K. 430, 1.

II c
998

X17860143

Ad. C. Corn. Tacit. Annal. Libr. II. c. LXI.
DE

STATUA MEMNONIS

FALSO CREDITA,
DISSERTATIO,
QVAM

JLLUSTRI VIRO,


JOAN. GEORGIO BÖRNERO,

JCTO. ET ORATORI CAUSARUM PRÆCIPUO
SERENISS. REGIS POLON. CONSIL. RERUMQUE
ECCLESIAST. ARBITRO GRAVISSIMO

PATRONO LITERARUM INDULGENTISSIMO,
D. D. D.

M. Urbanus Godofredus Siberus ,
Schol. Sneeb. R.

SNEEBERGAE,
Líteris HENR. FULDA, PRID KAL. AUG. ANO. M. DCC.



Ad. C. Ord. Facie. Annal. Libr. H. C. LXI.

DE

STATUTA MEMORABILIA

UNIVERSITATIS

WITTEBERGENSIS

QUAE

REPERTA

IN LIBRO

REPERTO

IN BIBLIOTHECA

UNIVERSITATIS

WITTEBERGENSIS

REPERTA

IN

LIBRO

UNIVERSITÄT
WITTEBERG





uum in eo, DOMINE, totus huc usque fuerim, ut cura Tua et sollicitudo, et beneficentia, qua me amplecteris, omnino innotesceret orbi, et veluti exemplum posteris imitandum proponeretur; hoc tamen tempore praesertim illud mihi faciendum credidi, quo novo in me beneficio surgis, totque in me unum meritis, immensum veluti cumulum addis. Et enim par est, & ipsa aequitas socia pietatis flagitat, ut cum saepe vana, & vituperanda, & sempiterno silentio premenda tradantur literis, inscribantur aeri, saxo commendentur, hae Tuæ laudes quae in publica vergunt commoda, publico ore celebrentur. Et vellem fane, dignum tantis laudibus monimentum erigere; veruntamen, quum opes meæ tenues adeo, angustaeque sint, ut tot beneficiis respondere nequeant, aliunde, sed e ditissimo tamen loco petam, quod

consecrandæ huic virtuti Tuæ locum dare possit.
 Est illud, Memnonis statua, audita, credo, mortalium
 multis, visa paucis, aut oculis ad fallendum pronis
 visa. Neque tamen illud mirum Tibi videri volo,
 quod, patentibus in hanc remunerationem reliquis
 orbis eruditi scrineis, huc potissimum concesserim.
 Quoties enim, DOMINE, Cornelium Tacitum in-
 gredior, toties mare quoddam altum profundum-
 que, nec inhospitale tamen, aut sterile, sed cum cura
 navigantibus expeditum, et felix, fructuosumque in-
 gredior, in quo merces quotidie pulchras, nec
 visas temere cuique, sed splendoras, mirandasque in-
 tueor, quasque eadem ambitione ostentare liceat,
 qua pretiosissimæ naturæ opes ostenduntur. Hic
 profecto, non aliunde petierunt sua, qui in orbe
 literato sua laude vigent. In hunc Oceanum primus
 Germanorum, sed pro solertia gentis, caute admodum
 ingressus est, Beatus ille Rhenanus, ostenditque
 primo, quæ divitiæ, quæ opes illuc peti possent. Se-
 cuti sunt alii, apertoque veluti novo quodam or-
 be, undique illuc vela fecerunt. Raptus in eum,
 Florentinum illud oraculum, Machiavellus, immer-
 sitque sese, & protulit ea, quæ nescio, opes, an
 corruptelas orbis dixeris. Nec timidius institit
 Justus ille Lipsius, quem audacia sua, non omnis
 tamen felicitatis expertem fecit. Idem cum Hugone
 Grotio,

Grotio, popularis Boxhornius, Germaniaeque nostrae Viri, Boecleri, Freinshemii, laudatique alii tentarunt. Abierunt tamen inter eos, fructum itineris non alium, nisi algam referentes, de quibus judicent, quos commune suffragium institores esse iussit. His exemplis nixus, liberum ego illud mare ingressus, adque illam Statuam delatus, et intueri et cognoscere, et quod Romani quondam ipsis fecere fluminibus, describere, inque omnium aspectum ferre coepi. Sed, fateri liceat, idem fere mihi contigit, quod eluso quondam illi Junonis adultero, qui nubem lucidam, densamque sed solutam posthac, evanescentemque fovit. SCIO DOMINE, mirum illud TIBI monimenti genus fore, sed de perennitate tamen nihil dubites velim; etsi enim nec apud nos Memnonis illa extet Statua, nec Aegyptus etiam, Thebaeque ostentare possint, stat tamen illa in eruditorum circulis, hisque exornata manibus, memoriae Tuæ, honorique in aeternum stabit.

DUm nego, extitisse aliquando Satuam, vel ut rectius, eque sententia plurimorum loquar, colossum, cui a Memnone nomen fuerit, rem sane ingentem totiusque orbis reclamacionibus obnoxiam audeo.

audeo. Quod si sola temeritate ductus illud agerem,*
justam indignationem experirer, quando diri ex-
empli res habetur, tot antiquorum hominum auto-
ritatem evertisse. Praeterea scio, quantas senserit
iras clarus ingenio novitatis studioso Batavus ille
Doctor, Joannes Clericus, quum statuam Salis, in
quam Lothi conjugem concrevisse ferunt, ex inter-
pretatione rudi natam diceret.** Has ut effugiam,
libere effabor, sanctam mihi veterum autoritatem, at
veritate

* Posteaquam ea scripissim, in manus veneri, Antonii van
Dalen Dissertationes de Oraculis, in quarum
altera, multa quidem de Memnonis statua attulit sed, ni-
hilo tamen minus dubitavit. De ipsa, inquit, tam varia
ac diversa narrantur, ut facile aliquis dubitet, an talis sta-
tua unquam fuerit in rerum natura. Plura posthaec ad-
didit a columna 200. usque ad p. 207. quae tamen
omnia ea sunt, ut nos Disquisitionis hujus haud poeni-
teat. Id certe legentibus apparebit, me ex illius ingenio
nec fructum nec gloriam quaesivisse.

** Edita est haec illius dissertatio in Apendice Commenta-
rii ad Genesin p. m. 227. sub cujus finem ita ait. Jam
affirmare posse nobis videmur, quod de Statua salis cre-
ditum, id totum ex perperam intellecto Mose ortum, quo-
rundam vanitate, plerorumque credulitate. Nec est
quod Veterum consensus atque auctoritas sententiae nostrae
opponatur, quae sine examine admitti oportere, nemo
dixerit.

veritate nixam, fore, sin vero ea destituti fuerint
 nullas illorum artestanti habiturum, quin, quod ve-
 rum est, edifferam. Ex omnibus, Memnonis colossum
 memorantibus primus omnium est Herodotus, pa-
 rens vere, auctorque historiae, sed ita memorat, ut qui
 fuerit, quo loco positus, quibus praeditus virtutibus,
 omnino cerni nequeat. Secutus eum est longissimo
 intervallo STRABO, quodque multam statuæ
 auctoritatem facit, ipse eam se vidisse testatur. Pro-
 dit et Callistratus, si credimus, oculatus testis, de quo
 tamen paulo post dicam. quo cum ludibro conflicte-
 tur, premensque vestigia illius Philostratus, quem-
 que utrum huic numero inferam dubito, apud Lucia-
 num Democritus, inque ejus Philopseude Eucra-
 tes. Haud omittendum puto doctum inter aevi sui
 vates, Dionysium, non oblitum, quin in Periegesi
 et Memnonis et Colossi mentionem faceret. E Lati-
 nis Vatibus Juvenalis dici meretur, cum Catullo,
 testantes ambo, fatis sibi nota, quæ de Memnone re-
 feruntur. Nec reticuit Plinius, & qui poterat? qui
 omnem pene rerum memoriam, suis, quos con-
 didit, libris complexus est. Tandem Cornelius Ta-
 citus, Germanicum Caesarem ad visendum Colos-
 sum cum ceteris illius miraculis Aegyptum adiisse
 tradit. In his libris sparsa veluti hujus Statuæ frag-
 menta collegerunt, quos nostra majorumque aetas
 tulit

tulit, e quibus, quoad mihi quidem penetrare licuit, Joannes Franciscus Picus Mirandulanus Princeps, summa diligentia, omnia, quæ reperire poterat, collegit, minore aliquantulum judicio diseussit. Quem excepit Janus Douza, Jani Douzæ filius, in explicationibus ad Catullum, iactabundus ille quidem, & nimium ferox, & nemini visa, auditaque pollicens, quæ tamen sine dubio, si demas pauca, Pico suffuratus erat.

Magna fateor, & insignia, rei testimonia sed quid inde commodi? nihil adhuc nisi extitisse Statuam, quæ communi quodam nomine Statua Memnonis appellaretur, de qua tamen dubites, num Memnonis, et si Memnonis, quis ille fuerit? nec apertum, sub dio potius, an tecto, num in Aegypto aut Aethiopia, quaerenda. Id vero certum, Aegyptios ipsos hanc ignorasse Statuam, solis Græcis Europæque tandem incolis, fabularum magistris, aut asseclis fuisse notam, erroreque ab uno ad reliquos transmissio, propagatam. Cujus rei firmum argumentum erit, quod qui fuerit Memnon, ipsi nesciant, qui tanta de eo contentione tradunt. Et magna tamen per Deum stultitia est, falsa tanquam vera scribere, veritatisque patrocinium in fabellis collocare. Quod Memnoni contigit, quem cum nullibi terrarum nec natum nec educatum cernerent, suo ex ingenio pro-
crea

crearunt, utque foret eo sanctior, Auroræ tanquam matri adscriperunt. * Scio hercle promotos esse ad velandam vecordiam, quum alta illa et sublimia, venerandis fabularum arcanis proferenda volunt, nec ignoro qui Eustathius fabellæ fucum faciat, asserendo nempe, Aethiopem fuisse Memnonem, colorisque causa, in album flectentis, Auroræ filium dici; attamen recordor Aethiopes hanc nigredinem albicantem vitio potius habuisse, neque inde temere permotos, quo Memnoni Statuam locarent. Sed erat tamen, quum existimarem non diffidendum adeo Graecis, omnemque de Memnone fabulam explodendam; succurrebat enim e vetustissimis Aegypti regibus qui Menes appellatus erat, asserente Herodoto, nec abnuente Plutarcho, isque nec obsoleti adeo, nec laudati omnino nominis, quum memoria illius, obdelitias, splendidiorumque victum, diris fuerit devota. Ex eo autem suspicabar, prona quadam et facili immutatione, e Mene, Memnonem esse factum, exemplo ceteroquin solito, testabatur-

B que

* Id Pindarum fecisse, auctor est Achilles Tattus, ad Catullum, de cuius verbis, a se lectis mirum est, quantum superbiat, ut est hominis ingenium tumidam, et ad gloriam sui, et invidiam aliorum natum.

que Herodotus, Graecos, non pauca Aegyptio-
rum vocabula, mutatis quibusdam linguae suae
adoptasse. Cumque Memnonem suum ex Aethi-
opia oriundum dicerent, e serie profecto Re-
gum Aegyptiacorum apparebat, e vicina Aethiopum
gente quosdam accersitos esse. Inter trecentos
enim et triginta reges indigenas, duodeviginti
Aethiopes, ipsi Pontificum Annales memorare
solent. Sed evertibat tamen hanc conjecturam
id, quod Aegyptii, Thebis maxime vicini hunc
omnino Memnonem ignorent, ac contendentes
de eo Graecos negligant et eludant. Commo-
dumque ipsi Graeci, interque eos principes
et cordati, has suorum fabulas non dissimula-
runt, eo forte consilio, ut ad modestiam ceteros
vocarent. Herodotus sine dissimulatione tradit Grae-
cos de Aegypto inania multa et vana, et si mi-
tius dicam, miseranda commentos esse. Ita, quae
de Statuis colossisque Mycerini Regis Aegypti-
aci dixerunt, ascribendo eos Rhodopi, nobili-
scorto, non sine indignatione quadam ac severi-
tate reprehendit.

Sed credo vanitatem magis adhuc conspicuam
fore, si Statuae locum videamus, de quo tamen
tantopere dubitarunt, ut ad haec usque tempo-
ra certum non sit, ubi Memnon sit quaerendus.

Aegyp-

Aegyptum certe plures inuunt, nec quaesitum
 ultra sunt progressi. Soli tamen Callistrato,
 Philostratoque illud criminari solet, quod eum
 sibi visum apud Aethiopes tradant. Poenasque
 eo nomine iam pridem Pico Mirandulano, nec
 minus Jano Douzæ dederunt, qui tamen pri-
 mus, in eum virgas expedisse, videri voluit. Li-
 ceat vero nobis hos defendere, quos certum est,
 sub Aethiopia Aegyptum designasse. Nescit
 profecto Douza, aut cum Pico sponte ignoravit,
 veteres de finibus Aegypti diuisas habuisse senten-
 tias. Sic Jones sibi persuasum habebant, Aegyptum,
 non nisi eas partes dici posse, quas secatus in brachia
 Nilus Insulas facit, quaeque, recepto, a figura, quam
 referunt, nomine, Delta appellantur. Ac quamvis
 aduersus populares suos contendat, Herodotus,
 Aegyptum ultra Thebas, et ad usque urbem Ele-
 phantinem porrigi, ad quam Aegyptii Aethiopes-
 que terminis conjuncti, mistique inter se, habita-
 bant; constat tamen veteres omnem Aegyptum
 sub Aethiopiae nomine complexos esse. Id, quod
 Ptolomaeus asserit, et ex antiquis monumentis
 designat Eustathius, quem recentiores sequuntur,
 in primis, qui ad ductum Ptolomei Tabulas con-
 fecit, Jo. Ant. Maginus, Bononiensis, unde non
 adeo temere Callistratus notandus erat, Verun-
 tamen



tamen liceat a mendacii maculis liberati sint, ne sic tamen fraudis immunes sunt habendi, quod, vastissima regione nominata, liberum reliquerunt, quo tandem loco Memnon quaereretur. Praeter hos vero, neque aliis de eo satis constat; namque Herodotus, cui potissima fides est habenda conceptis verbis asserit, majores Memnonem non Thebis, sed in eo terræ tractu, ubi ἐν Σαρδίων ἐἰς Σμύρναν κατέρχονται collocatum putasse. Decepti nimirum simulacro quod Sesostris Aegyptiorum Rex, petrae inciderat, quo viso Memnonis colossum crediderunt. Τὰ δὲ καὶ μεταξέ-
τεροι τῶν θεασαμένων Μέμνονος εἰκόνα εἰκάσσει μὲν εἶναι, πολὺ τῆς ἀληθείης ἀπολειμένοι. Et hoc sane testimonio nihil est illustrius, quando videlicet et Graecos de hac statua incertos, et longo tempore ancipites fuisse tradit. Quid vero impedit quo minus reliquos intueamur? STRABO, vetustae venerationis, eam sibi apud Thebas conspectam prodit, quum videndi ejus causa una cum Aelio Gallo illic abiisset. At, quis vadem dabit, Strabonem Thebas commemorantem, ipsam designasse urbem, non vero agrum Thebis circumjectum? Quod si urbem designarit, scimus eam a Cambyse, nisi vana loquatur Dionysii explanator, funditus everfam esse, νῦν ἐν ὀνόματι μόνον κειμένη, διὰ τὸ κατεσκάφθαι καὶ ἀνεσκαπῶσθαι τέλειον. Everfa autem urbe,
aequa-

aeqvataque solo, velim scire, quo fato Memnonis illa sit servata Statua? sive in templo Jovis Thebani vel Sesostris etiam, steterit, quod Plinius cupit. Aut credis Cambysen, a quo ipsi prope modum Dii, non diffitentibus Aegyptiis, testanteque Herodoto, flagellati sunt, Memnoni parsisse? communis profecto est querela, hunc tristissimae indolis Principem, et in hoc miraculum saeviisse. Sic Pausanias τὸ το γὸ ἀγάλμα ὃ Καμβύσης διέκοψε καὶ νῦν ὀπίσθιν ἐκ κεφαλῆς ἐς μέσον σώμα εἶν ἀπερριμένον, Cambyses eam Statuam diffidit, et nunc etiam superior pars a vertice ad medium truncum, humi neglecta jacet. At Strabo, hanc destructionem retinet, visumque a se hunc colossum integrum, fidem facit. Quare omnino in tanta hac diversitate nil aliud collegi, nisi id, Straboni etiam, ostensa alia Statua sub nomine Memnonis inpositum fuisse. Quod si vero per Thebas, circumiectum Thebis agrum significet, incertum denuo, quo tandem loco colossus ille steterit. Audiamus tamen Pausaniam, conveniatne ipsi cum ceteris? Is, de lapide Megarensi loquens, delatusque hinc ad Memnonis memoriam, sic ait: maiori utique cum admiratione spectavi colossum, qui Thebis Aegyptiis est trans Nilum, non longe ab eo loco, qui Syringes appellatur. Statua ibi est sedentis hominis, eam multi Memnonem

mnonem appellant. Quis vero inde non videt Pau-
 saniam a Strabone vel dissentire, vel apertius loqui?
 neque enim in urbe, sed extra eam hunc fuisse lo-
 cum docet, et in altera Nili ripa. At credidit for-
 te nihilo secius, hanc fuisse Memnonis Statuam?
 minime gentium. Victus enim veritate, Græcos
 per errorem modo, Colosso huic Memnonis de-
 disse nomen innuit, *οἱ πολλοὶ ὀνομάζουσι*. Quæ qui-
 dem ejus verba, Romulus Amasæus, non satis cre-
 do accurate reddidit, Memnonem appellant multi,
 siquidem Pausanias *τῆς πολλῆς* dicendo, non multi-
 tudinem duntaxat, sed vilitatem asserentium de-
 signat, quasi scriberet: qui minus rerum Aegyp-
 tiacarum gnari sunt, *οἱ πολλοὶ*, quique consensu
 magis et impetu quam judicio abripiuntur, hunc,
 Memnonis colossum vocant. Ita sane optimis Græ-
 corum solenne, ut hominem non satis spectatum
ἓνα τῶν πολλῶν appellent. Hoc modo Lucianus
 Philosophum loquentem sistit, *ἰφίσταται μοι ὁ δαίμων*
ἐπὶ τινὰ τῶν πολλῶν ἤκειν νομίζων, adstabat spectrum
 credens, se ad vilem, nec firmatum hominem acce-
 dere. Quodque notatu dignissimum ipse Hero-
 dotus non reticet, Aegyptios, Thebanos in primis,
 Græcorum vecordiam satis arguisse. At ipsi The-
 bani Memnonem esse negant, nam Phameno-
 phen fuisse hominem indigenam dicunt, etiam

etiam, qui Sesostris Statuam dicerent. Nunc quoque Lucianum in partes vocare præstat, diversa nisi totus fallar, de loco afferentem, in quo Memnon requirendus erat. Sistitur ab eo par Sapientum, iter referentium, quod Memnonis, & Pyramidum desiderio ducti, in Aegyptum fecerant. Alter illorum Eucrates ait: desiderium me cepit, ut Coptum Nilo subvectus inde ad Memnonem usque progrederer. Justa hæc et convenientia prope cum Pausania; est enim Coptus urbs Thebaidis, poteratque inde ad eum usque locum deferri, quem Syringes * dictum voluit Pausanias. Oblitus vero sui videtur, quando alterius illorum Demetrii, directum illuc iter his exponit: Flammans cupiditate Demetrius, ut et Pyramides videret, Memnonemque audiret, Nilum subvectus sextum jam mensem navigabat. At Herodotus ingressus Aegyptum, omniaque singulari cura contemplatus, si conferatur, omnem Nilum quatuor mensium itinere subiri posse statuit. Neque tamen diffitebor, Herodotum ad quatuor menses, quibus

* Totus in eo sum, ut credam, Syringes Pausaniæ fuisse, quas Tacitus An. II. c. LXI. angustias appellat: atque alibi angustiae et profunda altitudo, nullis inquirentium spatiis penetrabilis.

quibus superari Nilus queat, partes illas non
 adjecisse, quibus Deltae nomen datur. Quod si
 igitur Demetrius apud Lucianum initium navi-
 gationis ibi constituit, quo Herodotus, quid ali-
 ud dicam? nisi Memnonis Statuam ad quam con-
 tendebat, non in Thebaide, sed longe adhuc ul-
 tra Elephantinen sitam fuisse. Sed non mora-
 bor diutius, spes enim est, nisi quis obtrectandi
 studio delectetur, satis inde notum fore, ignotum
 omnibus, fuisse Memnonem, ignotumque locum
 in quo staret. Minor est dissensus de lapide, e
 quo Statua confecta, suscipit enim operam in se
 Plinius, omnium veluti ore testans, ex Aethio-
 pico marmore factam fuisse. Ac quamvis pro-
 prium cognomentum lapidi non dederit, conve-
 nire tamen quodammodo asserit cum Basalte, fer-
 rei coloris ac duritiei. Non absimilis illi nar-
 ratur, (verba sunt Plinii) in Thebis delubro Se-
 rapis (ut putant) Memnonis Statua dicatus. Factum
 nihilo minus exinde ut noto Graecis nomine λίθος
 αἰθιοπικῆς diceretur, quod e Callistrato liquet, cui in
 descriptione Aegyptii Satyri αἰθιοπικῶν λίθος ἑμφωνος
 nominatur. Quae illius verba Jano Douzae sa-
 tis intellecta non sunt, quando exinde mendacii
 et ignorantiae crimen Callistrato objecit, quasi
 Memnonem ex Aegypto in Aethiopiam transtulif-
 set,

set, quum tamen ipse potius eo notandus videatur. Neque enim Callistratus per λίθον αἰθίοπων aliud, nisi Syeniticum marmor intelligi voluit, e quo Memnon vulgo caesus ferebatur. Sed tantum abest, Memnonem ex eo lapide cognosci posse, ut potius multo magis ignoretur. Quod enim soli Memnoni adscribunt, omnibus fere trabibus colossisque proprium fuit, quippe qui omnes ex eo marmore fuere secti: Eius rei certum testem habeo Petrum Bellonium, non vana, sed quae suis viderat oculis, ore Gallico afferentem. Nos sic reddimus: Pyramidum tertia, integra adhuc nec ulla prope parte laesa. Lapis e quo secta, est e genere marmoris, cui Basalti nomen olim inditum, quamvis alias quoque lapis Aethiopicus dicitur. Duritiae ferrum superat, unde ex eo maxima pars Sphingum ac colossorum facta est. lib. II. Obser. Cui alter ille minoris fidei accedit, MURTADUS, Gaphiphii Filius, Arabs, libro de Pyramidibus, quem PETRUS VATTIER, eiusdem linguae apud Parisinos Interpres, Gallica lingua reddidit, quo fidem facit Regem Salridum, Sahaloci filium, conditorem Pyramidum, omnes in universum Pyramides ex hoc lapide fieri curasse. Quanta vero sit illorum concordia in designando marmore, omnis tamen illa rursus dilabitur, si id, in quo maxime miraculum constabat videamus, quod est salutationis

C

tionis officium Soli quotidie praestitum. Quidam enim illorum modestius de eo tradunt, quidam omni posito rubore, impudentius agunt. Quod si Murtadum sequi vellemus, hanc notam lucri faceremus. Afferit ille Bardesiri Regis Aegyptiorum Filiam Beduram, * Idola loquentia fecisse. Sava-numque Amonianum, statuis et colossis genios quosdam, vocis beneficio praeditos, indidisse; sed haec fabulas manifesto produnt, quare ad certa rerum monumenta redimus. Herodotus, diu Thebis nec frustra commoratus omnino ut de Memnone, sic de ejus salutatione silet. Strabo, qui accesserat, eo, ut deciperetur animo, imponi quidem sibi passus est, persuasus sonum quendam inde prodiisse, sed absit eum ita in stuporem esse raptum, ut, quod cunctanter sibi persuaserat, ceteris obtruderet. Proinde sonum sibi quendam obuenisse refert, quem aliunde tamen potius quam ortum e statua prudentissime judicabat. Poterant, oppido, si sub tecto praesertim collocata erat, specubus introrsum excavatis delitescere, qui statim tempore sonum ederent; suspicione haud in-

* Verba Petri Vatrier, haec sunt: Elle fist les Idoles parlantes, Pauloq; post; Sava Anmounian fit batir qvater Pyramide en Copte. Il fit entrer dans ces figures des esprits qui parloient de sorte, qve qvant quelqve Estranger arrivoit en cette Ville, la figure crioit.


inani. Quis enim fraudes nescit, quae gentium
 templa quondam occuparant? vel si quis nesciat, id
 testatum faciet nuperus illarum publicator An-
 tonius Van Dalen, suam diligentiam in eo maxime
 professus. Strabone autem longius progressus est
 Callistratus, non inconditum duntaxat, sed fra-
 ctum in varias voces, sonum, eumque indies bis re-
 petitum narrans: egressus naturam lapis, taciturni-
 tatem ad quam damnatus quasi erat, non servavit,
 sed quamvis lapis, linguam nihilominus in po-
 testate, usque habuit. Nunc enim orientem
 diem compellabat, grates et lætitiā ex adventu
 auroræ conceptam testatus, nunc vergente die in
 noctem, miserandum carmen lamentabatur, quasi
 et ipse ob hunc abitum langvesceret. Nec lachry-
 mis destituebatur, sed et illas ad voluntatem pa-
 ratas habuit. Egregius profecto miraculorum ar-
 tifex! neque, praeter rem Mirandulano aut Dou-
 zae inculpatus, nisi forte potius eloquentiam quam
 veritatem ostentare, aut aliud agendo indicare vo-
 luit, sacerdotes intus latentes, diversis temporibus
 diversos quoque edidisse sonos. Major mihi adhuc
 feliciorque in fingendo Scholiastes Juvenalis, quem
 infimæ vestutatis Douza, (sic enim gloriatur) so-
 lus habuit, is, et sonos illos confirmat, praeterque ve-
 nerationem Solis, Regem etiam salutatione hono-
 ratum ait, nullo sane veterum adstipulante. Et
 haec

haec inaudita illa sunt, quae Douza nimium credulus, aut immaturo captus in interpretem amore protulit. Parcior in enarrando est Pausanias, namque modulationes negat, sonumque quem percipisse sibi visus erat, cum eo confert, quem ruptus lyrae nervus edit. Cum quo pulcherrime profecto convenit Plinius, dum crepandi vocabulo hunc sonum exprimit. SOLIS ORTU, CONTACTUM RADII, CREPARE DICUNT. Ubi quidem operae pretium esset interpretari Plinium, aut quaerere dumtaxat, num et ipse sonum inconditum cum Pausania voluerit. Certe si e verbis veritas conficienda, sonus profecto is non fuit, qualis ex erudito tiliarum cantu provenit, sed qui vel pedum vel scabellorum agitatione excitatur, qualisque theatri forte solennis erat, ac proinde a Svetonio crepandi voce satis commode expressus est, ut fatetur Casaubonus, qui et ipse reliquos plausus, bombum, imbricem testam eo retulit, quum crepitaculis efficerentur. Et is fuit dulcissimus, si Diis placet, Memnonis concentus, qui tot hominum non insipientium turmas ad se pellexit, quique Principes etiam qualis Germanicus erat, a concentu strepituque tubarum avocatos, in admirationem rapere potuit. Mihi profecto Vir Illustris, concedendum non fuit, ut veteres fabulis hisce nostris amplius illuderent, easque autoritate recentiorum confirmatas posteritati commendarent.



VDT





B.I.G.

Farbkarte #13

Q. K. 430,1.

II c
998

X1860143

Ad. C. Corn. Tacit. Annal. Libr. II, c. LXI.

DE

STATUA MEMNONIS

FALSO CREDITA,
DISSERTATIO,

QVAM

JLLUSTRI VIRO,

JOAN. GEORGIO BORNERO,

JCTO. ET ORATORI CAUSARUM PRÆCIPUO
SERENISS. REGIS POLON. CONSIL. RERUMQUE
ECCLESIAST. ARBITRO GRAVISSIMO

PATRONO LITERARUM INDULGENTISSIMO,
D. D. D.

M. Urbanus Godofredus Siberus,
Schol. Sneeb. R.

SNEEBERGAE,

Literis HENR. FULDA, PRID KAL. AUG. ANO. M. DCC.

